

ret. Quod ille non solum oratoribus, sed Senatui quoque per literas despondit: fore prædicans, ut non prius Philippi partes sequeretur, quam Venetam (quod nolle) urbem ab eo captam & oppressam audiret. Summa rerum omnium ea fuit, ut se pacis cupidum militiam horrere diceret. Nec Venetum mirari oportere, quod cohortes, quas habere diceretur, supplemento expleret: id sane ea se ratione facere, ne in tanto vicini belli ardore suos fines omni præsidio nudos, quum vellet, ab injuria tueri non posset. Cum his Veneti oratores dimissi.

Picininus interim undevicesimo die summa ope Casale oppugnabat. Erant illi in castris ad viginti armatorum millia, quum Venetus dimidio minus haberet: sed longa illa oppugnatio spem fecerat Senatui, terribiles Picinini conatus prius fractum iri, quam quæ animo movebat, consequeretur: quippe qui in unius loci oppugnatione præter spem omnium tam diu fuisset occupatus, nec adhuc multum profecisset: sperare ardorem illum indies magis remissurum. Soncinum præterea in Cremonensi adhuc esse dicere, & alia alibi loca, natura & armis non minus, quam id oppidum, quod tunc obsideretur, munita, quorum oppugnatio omnes hostium conatus non solum remorari posset, sed prorsus etiam defatigare. Hæc illi. Sed ruina concussæ turris ita ad eam diem Casalini animos fregerat, ut ad deditionem jam aperte spectare cœpissent. Eos se dedentes hostis primo non receperat, tam diu rem consilio dilaturus, quoad cum Gotolongicis & Gammarensisibus clandestine motam transigeret proditionem. Adjece-
rant illi animum ad defectionem, ad quam postea Picinini nunciis sollicitati, aliud cum eo facinus omnino atrocius sunt adorti, ut Mellitam cum copiis per Brixienfes cedentem intercluderent, ita ut uno tempore Venetæ copię ab agrestibus hinc, inde & ab hostium copiis circumventæ, delerentur. Compositis in hunc modum insidiis, Casalini statim sunt in deditionem accepti: ratus erat Picininus sub primum suum ad Ollium accessum Venetum abeuntem opprimere. Iccirco nullam prius a Casalinis de-
ditio-

*Picininus
multa in
Bergomensi
& Brixienfi
agro oppida
Venetis ad-
imit.*